DE

ANTIQVITATE CODICIS VATICANI

COMMENTATIO

QVA

ALBERTINAE

MAGNI DVCATVS ZAHRINGO BADENSIS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

NOMINE

INITIA LECTIONVM PVBLICARVM

AD. XXX. APRILIS CIↃIↃCCCX.

INDICIT.

IO. LEONARDVS HVG,

Doctor et Professor pub. ord.

FRIBVRGI BRISGOVIAE,

TYPIS HERDERIANIS. MDCCCX.

Ει ουν εγω ενιψα υμων τους ποδας, ο Κυριος και ο διδασκαλος, και υμεις οφειλετε αλληλων νιπτειν τους ποδας. Joa. 13, 14.

e cod. Vat. n. 1209.

ΕΙΟΥΝΕΓΩΕΝΙΨΑ
ΥΜΩΝΤΟΥCΠΟΔΑCΟΚC
ΚΑΙΟΔΙΔΑCΚΑΛΟC
ΜΙCΘΟCΟΥΛΟΓΙΖΕΤΑΙ
ΚΑΤΑΧΑΡΙΝΑΛΛΑΚΑΤΑ
ΟΦΕΙΛΗΜΑ

Τω δε εργαζομενω ο μισθος ου λογιζεται κατα χαριν, αλλα κατα το ~~οφει~~ οφειλημα. Ep. ad Rom 4, 4.

Inexspectata prorsus atque singulari quadam benevolentia munus mihi delatum est, finem feriarum veneranda VIRI MAGNIFICI auctoritate, PATRVMque almae Albertinae amplissimorum, vobis palam denuntiandi, *Cives Academici*, vosque admonendi, ut alacriter ad Academiae hujus exedras convoletis, variis pro vitae conditione, cui vosmetipsos devovistis, doctrinae studiis morumque praeceptis percolere animum adnisi, quorum illa splendoris amittunt magnam partem atque utilitatis, horum nisi face refulgeant, et lumine collustrata, vel etiam moderamine teneantur, tam nobis ipsis salutari, quam in omnes benefico. Tanta vero cum sint sedulae et assiduae juventuti decora conquirenda, nullo non tempore maximam proborum omnium existimationem, et per omnem vitam in rebus agendis atque sustinendis suavissimam fiduciam ac levamen *Vobis* comparatura, integram et vegetam aetatem, *Cives optimi*, viresque intendite, καὶ εὐφωνεῖτε.

Obtigit mihi nuperrime, ita esse felicem, ut inter varios libros manuscriptos, quos Conservatores atque Custodes splendidissimae bibliothecae summi Galliarum Imperatoris eximia humanitate mihi examinandos concessere, praestantissimum codicem Vaticanum pertractare liceret; quod tunc temporis jucundissimum mihi jam eo gratius accidit, cum videam, me inde conquisivisse materiem, aliquo munusculo *Vos* demerendi non in-

digno et vestro, et forsitan doctorum hominum assensu. Tanta enim est hujus libri antiquitas, ut, exceptis voluminibus, quae ruina Herculani ultra septemdecim secula occultavit, pauci sint, qui cum eo in certamen descendere possint. Tanta etiam ejus longe lateque fama fuit, ut, quasi in opulentissima et omni librorum genere instructissima bibliotheca solus esset, per excellentiam Vaticanus audiret.

Sed, quod saepius fieri videmus, quo majora ex una parte encomia in rem aliquam cumulantur, eo severiores etiam ex alia censuras pronasci, idem libro quoque Vaticano evenit, atque varium et anceps de eo judicium ad nos usque obtinuit 1). Haec diversitas opinionum magnam partem inde traxit originem, quod bibliothecae pontificiae praefecti, etiamsi antiqui foederis documenta, Sixto V. Pontifice Maximo, ad litteram ejus fuerint typis evulgata 2), propter varietatem lectionis quoad novum testamentum, qua ab aliis, potissimum a latinis exemplaribus declinare videbatur, codicem raro cuiquam aut non nisi obiter inspiciendum concesserint 3). Inde magis ex peregrinatorum

1) Maldonatus commentar. in Jo. VII. 8. de eo: Codex .... antiquissimus ille Vaticanus, toto terrarum orbe celeberrimus. Ex altera parte Elias du Pin magni quid dixisse videri volebat, cum eum mille annis antiquiorem, i. e. seculo VII. scriptum pronunciaret. Dissertation praeliminaire, ou prolegomenes sur la Bible L. II. c. III. §. 2. Omnem fere fidem superant, quae J. Millius, vir haud vulgaris doctrinae, de hoc codice protulit, non veritus illi comparare Laudianum sign. c. 63. quinimo anteferre. Proleg. in N. T. n. 1090. collat. n. 1436 — 39.

2) Ἡ παλαια διαθηκη κατα τους Ἑβδομηκοντα δι αυθεντιας Ξυστου Ε ακρου αρχιερεως εκδοθεισα: Vetus testamentum juxta septuaginta ex auctoritate Sixti V. Pont. Max. editum. Romae ex typographia Francisci Zanetti. A. 1587.

3) Ipse Montfauconius integrum saepe diem in hanc bibliothecam inclusus, codicem non sine summa festinatione vidit, ut ex iis adparet, quae de illo refert in Diar. Ital. c. 20. p. 277. Ita testis oculatus E. R. (i. e. Eusebius Renaudot, ut putant) ad quem provocat le Long. Biblioth. sacr. T. I c. III. sect. 4. codicem vel oscitanter inspexit, vel temporis angustia exclusus nil dignum doctrina sua observare potuit. Facile igitur praevidendum erat, editioni, quam abbas

rumoribus aut vagis relationibus, quam justo examine de ejus aetate disceptatum est usque ad virum clariss. Andream Birchium, nomarchiae Söme et ad aedem Rotschildiae praepositum, qui eum solertins examinavit, atque momenta in medium adduxit, e quibus certiora edocerentur prudentes et aequi existimatores 4).

Subterfugere tamen complura doctissimum virum, non quod illi ingenium deesset, aut acumen et harum rerum peritia, quae in illo insunt maxima; sed quod de exscribenda lectionis varietate solicitus, eo potissimum intenderit animum, quo etiam labore de arte critica praeclare meruit. Cum igitur codicis lustrandi mihi facultas esset omnis, variaque obvenissent, quae pro ejus aetate rite determinanda facere videbantur, mecum constitui ista curatius prosequi, ratus, si quidpiam sincerum aut probabile inde elicerem, disciplinae, quam diplomaticam vocant, aliquid accessurum commodi atque augmenti. Quidquid vero in hac sparta exornanda a me praestitum fuerit, id jam omne habete, *Cives optimi*, et faventes excipite.

Spoletti ante aliquot decennia moliebatur, obstitum iri. Rationes, quibus prohibebatur a publicatione codicis, exposuit clariss. Adler in epistola inserta Bibliothecae orient. exeget. J. Davidis Michaelis. Tom. XXII. p. 171

4) An editores bibliorum Complutensium aliquam nostri codicis notitiam habuerint, consulta utraque eorum praefatione, subobscurum est; sed ex contentionibus, quae posthac inter Erasmum et Hispanos emerserunt, patet, eos saltem de hoc libro ejusque antiquitate aliqua inaudisse. Confer Wetstenii proleg. in N. T edit. Semler. p. 64. 65. Innotescere plenius primum coepit ex praefat. in editionem V. T. graecam, juxta lectionem ejus ad verbum, ut ajunt, expressam quae prodiit Romae 1587. sub pontificatu Sixti. Sed occupatur haec praefatio unice in describenda ea parte, quae V. T. amplectitur. Codicis deinde patronum egit J. Morinus in exercitationibus biblicis passim, in quibus eum a suspicione, quod ad vulgatam aut latinos libros refictus sit, liberare conatus est, quin ejus palaeographiae et notis antiquitatis multum luminis accesserit. Alii deinceps in hac suspicione augenda operam posuerunt, inter quos eminet Ern. Grabius in praefat. in suam των O. editionem; alii in refellenda. Quoad novum test. descriptionem libri succinctam dedit primus Laur. Alex. Zacagni in collectaneis monum. veter. eccles. graec. ac lat. Romae 1698. §. XLV. Ejus

Codex Vaticanus, numero 1209 insignitus, comprehendit vetus atque novum testamentum uno volumine, truncato tamen utraque extremitate, initio nimirum et fine. Desunt capita geneseos, quotquot XLVII mum antecedunt, et post caput IX. v. 14. epistolae ad Hebraeos omnia. Observandum vero est, post evangelia et acta apostolorum sequi epistolas septem catholicas, et deinceps Paulum consueto epistolarum ordine ad secundam usque ad Thessalonicenses, cui subjungitur inscripta ad Hebraeos. Ambae igitur ad Timotheum, illa ad Titum et Philemonem, tanquam collectio epistolarum ad singulos scriptarum, quae epistolam ad Hebraeos excipere debebat, interierunt. Nec adest apocalypsis; et absunt libri Machabaeorum. E corpore vero codicis pessumiverunt quaedam folia psalmorum; a psalmo nimirum CV usque ad psalmum CXXXVIII omnes intermedii.

Scriptus est in membrana laevissima, supra modum tenui et vix non pellucida, manu eleganti, prompta et imperterrita, ductu simplicissimo, et quod sibi facile quisquam persuaserit antiquitatis ignarus, pennis corvorum; adeo subtilia sunt lineamenta litterarum, ubi pinguior ductus in acutum excurrit. Omnes porro litterae ita sunt comparatae, ut figurâ quadrangula aequilatera possint circumscribi: earum nulla compressior est, aut in angustum coarctata; sed character, quod ajunt, exacte quadratus est, maju-

antiquitatem asserere conatus est, potissimum ex similitudine characterum cum iis qui in cyclo paschali cathedrae S. Hipolyti inscripto conspiciuntur, Chr. Matth. Pfaffius in dissertat. crit. de genuinis libror. N. T. lectionibus. Amstelod. 1709. c. III. §. 2. p. 55. Ab aliis laudari video Jo. Sam. Hichtel exercitat. crit. de antiquitate et praestantia cod. Romani prae Alexandrino. Ienae 1734. Hunc excepit Jo. Adam Osiander in orationum academicarum triga, quarum prima agit de cod. graec. N. T. Vaticano etc. Tubingae 1742. qui tamen, nescio quo teste, deceptus, quaedam descriptioni inseruit omnino falsa, non indoctus de caetero judex, si veriora rescivisset. Ita plane ultra notitiam codicis, quam Zacagnio debemus, perexiguam, nihil fere certi de eo in medium allatum est usque ad celeber. Birchium, qui ejus descriptionem publice proposuit primo in Jo. Dav. Michaelis Biblioth. orient. exeget. P. XXIII. n. 351. et postea in editione Evangelior. sumptibus Regiis adornata. Hauniae 1788. in praefat. p. XIII. seq.

sculus et simillimus illi, qui in voluminibus conspicitur ex Herculanensi strage protractis. Intelligentissimus harum rerum arbiter, quo tempore abditae hujus urbis antiquitates paullatim coeperunt innotescere, doctis hominibus optimum consilium impertiri sibi videbatur, quandoquidem desiderarent efformare animo quandam effigiem characterum Herculanensium, tum quoad magnitudinem, tum quoad figuram, cum eos ad bibliothecae Vaticanae codicem celeberrimum remitteret, utpote cujus summa cum illis similitudo intercederet 5). Et profecto, quod magnitudinem attinet litterarum, pauxillum majores parum differunt a libro Philodemi de musica, cujus volumen quartum primum Herculanensium fuit, quod felici conatu explicitum atque tabulis aeneis delineatum Neapoli Campanorum lucem vidit 6). Id quod de litterarum magnitudine valet, etiam de earum ductu et forma dici potest, in qua inter utrumque monumentum hoc potissimum discrimen intercedit, quod Philodemi exemplar *raptim*, *et nulla* elegantiae habita ratione scriptum, atque, ut putant, autographum partim ex ore ejus exceptum, partim e pugillaribus aut schedis *auctoris enotatum*; noster vero codex calligraphi manu exaratus sit.

Omnes caeterum litterae magnitudine pares sunt, nisi fors spatium in fine lineae defecerit, coegeritque librarium parcere calamo et contrahere ductum. Nullae vero comparent maiores et initiales; nedum in initiis singulorum librorum; sed quae praefiguntur grandiores Matthaei, Marci, et reliquorum exordiis, superadditae sunt, deleta scriptura primaeva, ut primo obtutu palam est librum aperienti. Haec res peculiaris est penitus codici Vaticano praeter Herculanensia scripta: reliqua, e quibus primo loco commemorari meretur celeberrimum exemplar Alexandrinum, atque codex Eph-

5) Johann Winckelmanns Sendschreiben von den Herculanischen Entdeckungen an Heinrich Reichsgrafen von Brühl. Dresden 1762. 4. p. 80.

6) Herculanensium Voluminum quae supersunt Tomus I. (Neapoli 1793.) ex typographia Regia. Opus splendidum in fol. XXXIX. tabulis ornatum. Qui vero parcius, aere minuto, in litteris cupiunt proficere, adeant celeberr. Chr. Theoph. de Murr commentationem de Papyris seu voluminibus graecis Herculanensibus etc. Argentorati typ. Levrault. 1804. 8.

raem Syri rescriptus (Parisin. graec. n. 9. fol.) sectiones aut initia pericoparum littera grandiuscula et exstante extra aream indicant.

Singulae etiam litterae adeo arcte et continuo ordine se subsequuntur, ut nusquam divisis aut sejunctis per intervalla vocibus dignoscendus sit finis vocabuli aut initium, sed quaelibet linea unum tantum continere verbum videatur. Neque etiam ad separandas à se invicem voces aliquod signum undequaque adpositum cernitur, quale in codice Alexandrino, ut rem exemplo illustremus, frequentius recurrit, lineola recurva superne ad litteram adpicta. In ejusmodi tantum locis, ubi narratio integra absolvitur, aut in epistolis finita quadam conceptuum serie, ubi in alia transit oratio, dimidiae et nonnunquam integrae litterae intercapedo vacua remansit, admonendi causa lectorem, aliam inchoare narrationem, vel diversam sententiarum seriem ordiri.

Primitiva tamen facies litterarum rarissime se spectandam offert: praeterquam enim, quod atramentum hic illic membranas adrosit, atque lineamenta vocum perlucent quasi à tenuissimis vermiculis exesa, litterae undique adeo expalluerunt, ut vix non evanuissent penitus, nisi posterior manus subvenisset, quae eas summa diligentia, adcurate sequendo ductum earum, novo atramento inlevit. Verum in hoc conatu emorituras litteras juvandi non est substitum, ut ego quidem existimo; sed lapsu temporis alius quisquam hunc laborem repetiit in diversis locis, ubi flavescens et evanidus color opem exegit. In compluribus paginis diversum a secundo illo et recentius atramentum facile se prodit, quemadmodum pagina codicis 1491 in epistola ad Galatas.

Veteres igitur illi et primaevi characteres ibi tantum comparent, ubi calligraphus aliqua perperam vel bis scripsit. Ejusmodi litteras, aut etiam sententias fato suo commiserunt librarii, qui serius scripturam renovarunt, quin sibi facesserent negotium instaurandi colorem litterarum vocumque, quas abesse primitus oportebat, et quibus extinctis exemplar erat correctius. Imaginem scripturae, qualis adparet post iteratas librariorum curas aeri incidi curavit Josephus Blanchinus, 7) in qua tamen, sincera licet et satis bona,

7) Blanchini Evangeliarium quadruplex. Parte I. ad pag. CDXCII.

artis criticae peritus nemo adquiescet, dum comparatio instituenda est inter diversorum seculorum characteres, atque ex eorum collatione statuendum, sed exposcet sibi ob oculos poni genuinum ac nativum calligraphi ductum. Quare duo loca mihi selegi, quae bis occurrunt, et quae secunda vice per errorem scripta intacta reliquerunt manus posteriores, labore supersedentes delenda instaurandi; unum ex Jo. XIII. 14; alterum ex Pauli ad Romanos epistola IV. 4. desumtum, quae in fronte hujus pertractationis proposui. Ea scalptor, si non ad hilum, haud imperite tamen laminae inscripsit; quo vero quam proxime ad exemplaris speciem accedamus, opus erit cogitatione litteris pallorem adjicere, et eum quidem, ut fere oculorum aciem subterfugiant.

Codex manifeste nullam habuit interpunctionem. Etenim nedum finita orationis serie, ubi illa spatio vacuo notatur, quantum dimidia et quandoque integra littera expleret; nedum ibi vestigium alicujus puncti adparet. Et posteriores librarii, qui atramento novo codicem oblitterarunt, nonnisi raro ausi sunt illi signum aliquod distinctionis adiicere. A Matthaei initio usque ad capud VItum quatuor tantum puncta occurrunt; frequentiora sunt in actis apostolorum, capite potissimum XXIV. et XXV. Sed atramentum ab illo intermortuo et primaevo longe diversum harum distinctionum originem arguit multo juniorem. Exstat nonnisi locus unicus II. Cor. III. 15. bis scriptus, quem secunda vice repetitum recentiores scribae non attigerunt, cui ipsa prima manus punctum addidit hoc fere modo ΑΥΤΩΝΚΕΙΤΑΪΗΝΙΚΑ; verum, cum vergente ad finem spatio litterae praeter morem coarctarentur, opus erat eo loco, qui jam solito difficilior evaserat, indicare, qua ratione in hac congestione litterarum voces sejungere oporteat, ne ex obscuritate lectionis conjecturae praeposterae et errores librariorum enascerentur, qui forte hoc exemplar in posterum transscriberent.

De accentibus vero et spirituum signis major est quaestio. Si audimus clariss. Birchium, *a prima manu litteris sunt impositi*; et licet non instaurarentur, tamen aetatem tulerunt: *Litterae*, ait, *non accentus et spiritus, atramento iterum obductae fuerunt, cum antiquior scriptura aetate flavescere incepisset.* Quamvis mirari quis posset, cur evanescentibus fere litteris,

minutissima accentuum lineamenta non disperiissent, codicem tamen ita persuasus accessi, atque evolvi, etiamsi atramentum plerumque spissius primo intuitu ac recentius adpareret, collatum cum colore litterarum et vocum, quae secundam manum non sunt expertae. Posteaquam vero vitreis oculum adjuvi, diversitas atramenti multo distinctius se prodidit; quod autem medium colorem servet inter utrumque, vividiorem veteri illo et emortuo, et hebetiorem recens litteris superaddito, ratio in promptu est: antiquae litterae fungebantur vice fundi, cui novus color superinductus fortius emicat; accentus vero et spiritus, eodem licet recentiori atramento depicti, remissius fulgent, cum nullo antiquiori fundo incubent, qui colorem elevaret. Et si in uno alteroque loco, quod praecipue obtinet Coloss. I. 22. in voce *σαρκὸς*, propius ad pallorem veteris litterae accedant; observandum est, minutas hasce lineolas, non exundante calamo, sed parcius intincto et acie calami prognatas, initio statim languidiores esse, et posthac maturius expallescere.

Sed illud magis me permovit, cum viderem, ubicunque nativus calligraphi ductus nitet intaminatus, et nulla serioris atramenti tinctura obrutus, in omnibus iis vocibus et sententiis nullos spiritus, nulla penitus accentuum signa deprehendi. Exinde facile augurabar, haec omnia iis deberi, qui litteras novo colore imbuerunt. Iuvat haec loca in tres classes dispescere, et de singulis ex ordine dicere.

Alia sunt, quae habent signum reprobationis â prima manu adjectum; hoc quoad litteras, aut vocem non nisi unicam, consistit in punctis vertici litterarum impositis, quae in Herculanensibus chartis eadem significatione adhibentur. 8) En ê nostro codice exempla, Jo. XVII. 15. ΠΟΝΗΡΟΥΝΗΡΟΥ,

8) Idem reprobationis signum saepius in Philodemi exemplare Herculanensi obvenit; atque adeo mirum est, virum eximium, Joannem Winckelmann, non statim animadvertisse, quid sibi haec puncta in Philodemo velint. Versus vero Euripidis ad parietem domus in Herculano adscriptus et accentibus instructus,

ὡς ἐν σοφὸν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ,

â quodam nostrorum est, qui citra meritum viro doctissimo imposuit.

Act. XXV. 25. ΑΥΤΟΥΔΕΤΟΥΠΑΥΛΟΥ; confer Marc. VI. 31. Act. XXIII. 7. Totas autem sententias uncis inclusit, quemadmodum Matth. XXVI. 56, 57. ΕΦΥΓΟΝ'ΟΙΔΕΚΡΑΤΗϹΑΝΤΕϹΕΦΥΓΟΝ'ΟΙΔΕΚΡΑΤΗϹΑΝΤΕϹΓΟΝΙΗϹΟΥΝ..; aut. Matth. XXI. 4. 'ΠΛΕΡΩΘΗΤΟΡΗΘΕΝΔΙΑΤΟΥ'ΠΛΕΡΩΘΗΤΟΡΗΘΕΝΔΙΑΤΟΥ; et Rom. IV. 4. ubi secunda vice scripta sunt, 'ΜΙϹΘΟϹΟΥΛΟΓΙΖΕΤΑΙΚΑΤΑΧΑΡΙΝΑΛΛΑΚΑΤΑΟΦΙΛΗΜΑ'. Locus Rom. IX. 18. ΟΝΔΕΘΕΛΕΙΕΛΕΕΙ bis scriptus, solus, in quem incidi, rasus est â sordida manu, indiligenter; minime tamen deletus. Sordes hominis monstrant, eum non esse calligraphum nostrum, qui codicem per omnia nitidissime habuit.

Alia vero sunt, quae non reprobata â primo librario, diversitatem tantum lectionis in margine adnotatam exhibent, in codice quodam inventam, Ejusmodi voces quibus juxta aream adscripta lectio diversa respondet, posteriores manus in contextu *non obduxerunt*; quemadmodum Matth. XIII. 52. *ειπεν* cui in margine respondet, *λεγει αυτοις*; Matth. XIV. 5. *επει* ante *ως προφητην*; in margine *οτι*. Matth. XVI. 4. *αιτει*; in margine *επιζητει*. Matth. XXII. 10. *ο νυμφων*; in margine *γαμος*. et caet.

Cuncta haec, tum ea, quae signo reprobationis notantur, tum etiam ea, quibus discrepans lectio juxta adjungitur; cuncta haec recentior calamus non infecit, atque plane nusquam ullum accentum exhibent aut spiritum. Et si fors cuiquam in mentem inciderit, comminisci, fieri potuisse, ut calligraphus ille primus labori pepercerit, ea exornandi signis sonorum, quae reprobasset; haec excusatio si firmiori fundamento quam conjecturae inniteretur, nihil tamen de ejusmodi vocibus pronunciaret, quae haudquaquam repudiantur, quod diversam ab illis lectionem inveniri in margine admoneatur.

Alia denique sunt, queis vel omnino nulla nota reprobationis adnexa, vel â secunda tantum manu superaddita est. In his adeoque calligraphus ipse non advertit, quidpiam â se male aut iterato per errorem scriptum

Sendschreiben von den Herculanischen Entdeck. an den Reichsgr. von Brühl, p. 80. et 82. confer de versu Euripideo, quae doctiss. de Murr adnotavit in commentatione de Papyris seu volum. graec. Herculanen. p. 55.

fuisse, cui accentus denegaret, Talia sunt Io. XIII. 14. ΕΙΟΥΝΕΓΩΕΝΙΨΑΥΜΩΝΤΟΥϹΠΟΔΑϹΟΚ̅Ϲ̅ΚΑΙΟ:ΙΔΑϹΚΑΛΟϹ secundo scripta. Ep. Iacobi. I. 3. ΤΗϹΠΙϹΤΕΩϹ, quae voces semel tantum scriptae, ne â longe quidem suspicionem incurrunt; recentiori tamen atramento uncos habent, et non sunt refectae. Signis carent: Matth. XXII. 45. ΚΑΛΕΙΑΥΤΟΝΑΥΤΟΝ, ubi alterum ΑΥΤΟΝ abundat; Jo. XVII. 18. ΚΑΓΩΑΠΕϹΤΕΙΛΑΑΥΤΟΥϹΕΙϹΤΟΝΚΟϹΜΟΝ, sententia bis scripta; Act. XVIII. 7. ΟΝΟΜΑΤΙΤΙΟΥΙΟΥϹΤΟΥ, vox ΤΙΤΙΟΥ raro in codicibus, et in quibusdam solum versionibus legitur. Huc spectant etiam Act. XVIII. 7. II. Jo. Ep. v. 10. Ex antiquo foedere, ut exinde quoque aliqua exempla decerpamus, tria tantum psalmorum loca, in quae nullis omnino signis animadversum est, in medium adducamus. ps. XXIV. 14. και το ονομα κῦ των φοβουμενων αυτον, quae ab editione Romana absunt; ps. LXXV. 4. post ρομφαιαν και πολεμον, subjiciuntur εκει συνεκλασε τα κερατα; Ps. CXLIII. 9. post ψαλω σοι legitur: και την μεγαλοσυνην σου διηγησομαι αυτην. Undequaque vero vocabulum Διαψαλμα, quotiescunque comparet, nec refictum est, nec reprobatum; nihilominus tamen accentu destituitur.

Rem ut uno verbo dicamus: non exstat plane locus, cujus nativae scriptioni parcitum fuit, in quo vestigium accentus aut spiritus observetur; adeoque haud falsum est, quod diversitas atramenti jam arguit, hasce accessiones aliis acceptas referri, qui in elegantissimo monumento conservando operam posuerunt. Quidquid vero de eorum labore statuatur, vereor, sine eo factum fuisse, ut perpulchrae membranae quemquam illexerint extinctae fere scripturae aliud opus superinducere, cujus pretium aetatem non aequipararet, nec argumentum nostri.

Peculiaris etiam est forma codicis. Alias in libris scriptis antiquioribus singulae paginae unam aream, vel ut alia locutione exprimunt, unam scripturae columnam vel etiam duas exhibent, quorum prius in rescripto Ephraem Syri, alterum in Alexandrino, ne exempla praeter rem cumulemus videre est; at noster tres omnino qualibet pagina areas aut columnas offert, adeo ut si expansus ob oculos ponatur, sex columnas simul uno intuitu complectamur, quibus non poterat esse locus, nisi forma membranae in

oblongum excurreret; unde superficies libri vix non praebet speciem prisci voluminis, quod explicitum legenti oblongum obversatur, adinstar librorum quos aetas nostra cantui et symphoniae destinavit. Et quamvis fingamus à margine superiori atque inferiori quartam partem altitudinis abscissam per bibliopegas, et ad latus nihil omnino à margine demtum fuisse, latitudo tamen totius libri plus tertia parte altitudinem excedet. 9) Singularis haec forma codicis docet, eum scriptum fuisse, quo tempore à voluminibus ad libros transitum, atque eorum prisca facies, cui oculus jam insueverat, retenta est, quo voluminibus, quantum fieri poterat, libri quam simillimi essent, et rei novitas conjunctam vetustatis speciem propagaret. Non memini exstare aliud monumentum, quod ista attinet, cum nostro comparandum, nisi illustre fragmentum Dionis Cassii, quod quondam Fulvii Ursini scrinia exornavit, postque ejus fata per supremas tabulas bibliothecae Vaticanae illatum, paucis abhinc annis *Lutetiam Parisiorum* commigravit. Monumenti hujus singula folia pariter tres columnas sistunt, indeque explicatum impari multum *altitudine in longum* distenditur tantopere, ut prima fronte unusquisque statueret, se non, libri sed voluminis reliquias intueri, ni aversa pagina ὀπισθόγραφον proderet, quod in voluminibus per calligraphum exaratis haud moris erat, et tantum in adversariis et repentinis notationibus obtinebat. Has autem membranas tot antiquitatis indicia luculenta commendant, ut inter libros scriptos, quotquot in bibliothecis conspiciuntur, parem non inveniant, et si non nostrum, superiorem nullum. 10)

9) Membrana codicis alta est, ad mensuram pedis Regii Gall., decem pollices, lineas quinque; quaelibet pagina lata est pollices novem, lineas octo. Ambae igitur paginae, quae simul visui subjiciuntur adaperto libro, latae sunt invicem pedem unum et dimidium, pollicem insuper unum, lineas quatour; atque latitudo libri adaperti exuperat altitudinem pollicibus octo, lineis novem.

10) Has membranas Dionis Cassii ut antiquissimas, et vetustiores quolibet codice, mihi laudavit vir multijuga eruditione clarus, Carolus Hasé, Vinariensis, à custodia bibliothecae summi Galliarum Imperatoris, quem, si omnes meas rationes expenderit, quas jam explicare latius adnitor, non dubito, Vaticano calculum esse daturum.

Verum quod magis mirarere; si columnas singulas Philodemi in Herculanensi volumine mensuremus, Vaticanis latitudine paene aequales sunt, et quoad altitudinem haud multum discrepant. Cum paullo pusilliores sint Herculanenses characteres Vaticanis, etiam altitudo columnae, pro eorum ratione paullo inferior est. Vaticanus porro liber lineas comprehendit in qualibet columna quadraginta atque duas: Philodemi exemplar supra quadraginta ad summum quatuor; variat etenim et oberrat intra quatuor unitates, quae numerum quadragenarium egrediuntur: siquidem festinantius ex ore dictantis magnam partem scriptum est; quare scriba non adeo anxie cuidam regulae inhaesit, quemadmodum calligraphi, qui elegantiam pariter et symmetriam consectabantur. Vaticanae columnae circiter intervallo octo linearum pollicis ab invicem separantur, quod plerumque etiam in Philodemo contingit; quasi vero pro altitudine chartae Aegyptiacae ejusque extensione, prout natura plantae suppeditabat, certa quaedam mensura columnarum, atque spatii, quo alternae sejungerentur, usu stabilita fuerit, ad quam cuncta haec exigebantur, quamque Vaticanum exemplar in membranis etiam retinebat, quo se ad usum communem proxime conformaret. Omnia ista: similitudo litterarum maxima cum Herculanensibus; figura codicis ad voluminum speciem proxime accedens; aequalitas haec columnarum quoad latitudinem; eadem fere altitudo; linearum par fere numerus, et aequalis columnarum intercapedo, quasi ad eamdem mensuram exactus, aetatem produnt Herculanensium scriptorum atque Vaticani haud longo intervallo sejunctam.

Liceat modo ab instituta quaestione pauxillum deflectere, et orthographiam codicis ad examen revocare; utpote quae ad explorandum ejus natale solum opem auxiliumque spondere videtur. Quod igitur orthographiam codicis attinet, correctissimis accenseri meretur; nullae obviant permutationes vocalium sono affinium, excepta sola hac, quod diphthongus ει pro ι saepius adhibeatur, et plerumque ubi alii libri aoristos secundos exprimunt verborum, quae in praesenti per ει scribuntur; quasi vero imperfectum cum aoristo secundo confuderit. Alia sunt, quae potius ex consuetudine gentis, quaedam abunde scribentis aut pronunciantis, quam per imperitiam admisit,

quorsum referendum est — ν ἐφελκυστικὸν, saepissime invitis grammaticae legibus additum. Haec cacoethia iterum recurrit in Aegyptiaco monumento graeco, cui ad latus respondet versio dialecto Thebaica concinnata, cujusque editorem ipsum ea de re juvat dicentem audire, cum Vaticani libri morem sua chartae Thebaicae descriptione quasi depingat: „non inutile erit obser„vasse, ajt, ν ἐφελκυστικὸν, quod cum heic tum alibi saepissime in hujus „fragmenti exemplo additum occurrit verbo ἐστὶ; et tertiae cuique personae „praeteriti perfecti, atque aoristi singularis, etiamsi littera, quae sequitur „consona sit, contra quam hodierni canones ferunt graecae grammaticae, et „orthographiae" [11]). Aegyptium vero codicis Vaticani librarium propius arguit singularis orthographia in vocibus συλλήψη, λήψεσθε, ληφθήσεται etc. quae fere semper scribuntur συλλημψη, λημψεσθε, λημφθησεται, λημφθεντα, reliq. Haec anomalia non uno documento Aegyptiis addicitur; nominatim vero fragmento litaniarum Graeco-Thebaicarum musei Borgiani, in quibus vocabulum αντιληψεως saepius repetitum semper αντιλημψεως, et αντιλιμψεως scribitur [12]) *Simile vocabulum*, ευμεταληψις, in linguam Aegypti adoptione introductum hanc consuetudinem gentis affirmat; in missali Alexandrino legitur, quod ex defectu litterarum Copticarum Graecis exprimimus: ευμεταλυμψις νεμουταλσω, i. e. auxilium et medela. [13]) Plura memini mihi obcurisse ejusmodi exempla in copticis liturgiis, quae modo investigare non est in promptu. Non alienum tamen erit hic admonere, utramque consuetudinem, tum quoad - ν - ἐφελκυστικὸν, tum hanc modo memoratam, etiam in codice Alexandrino observari, [14]) et proinde hunc et Vaticanum communem nascendi

11) Aug. Ant. Georgii Fragmentum Evangelii S. Joannis Graeco-Copto-Thebaicum. In cap. VI variantes lect. et notae. pag. 67.

12) Georgi Fragment. Evang. S. Jo. Graeco-Copto-Thebaicum, in adpend. liturg. fragmentor. p. 358. 59. 362. 64 et 66. confer etiam quae in hunc locum observavit p. 385.

13) I. Al. Assemanus, codex Eccles. univ. liturgic. L. VIII. Pars. V. miss. Alexandrino-Copticum. p. 13.

14) Carol. Godofr. Woidii notitia cod. Alex. edit. spohnii Lips. 1788. §. 58. p. 107. — „scribit . . . codex . . . . λημψονται marc. XIV. 14. ανελημφθη Marc.

sortem iisdem gentilitiis signis profiteri. Idem etiam evenit in extranea prorsus et insolita flexione aoristorum secundorum vel etiam imperfectorum ad formam aoristi primi: sic Marc. XIV. 48. uterque codex habet ἐξελθατε; Luc. XI. 52. εισηλθατε; Luc. XIX. 39. Act I. 11. ειπαν; Act. XII. 10. ηλθαν; ibid. XII. 16. ειδαν. Hujus consuetudinis vestigia in Coptorum libris offendimus quandoque, quemadmodum in fragmento Graece et Thebaice scripto, cujus paullo ante mentionem fecimus, ubi Jo. VII. 52. απεκριθησαν και ειπαν αυτω legitur; vel in ordine missae: εν ειρηνη και αγαπη Ιησου Χῦ μεθ' υμων, ψαλατε; et in litaniis: εν ειρηνη τω χῶ ψαλατε.[15]) Multo antiquius vero ejusdem specimen superest Thebis in inscriptione, quae inter graecas prima in crure dextro Memnonis conspicitur. En ejus verba, qualia offert linea sexta: ΜΗΜΝΟΝ ΕΠΙΓΝΟΥC ΟΥΔΕΝ ΕΞΕΦΘΕΓΓΑΤΟ.[16]) Si hisce animadversionibus aliquid inest ponderis aut firmitatis, locus natalis utriusque codicis, Vaticani nimirum, et illius alterius, cui nomen indidere Alexandrini, si non Alexandriae, saltem in Aegypto quaerendus est. Certe constans amborum consensus in consuetudines tantopere ab indole linguae graecae abhorrentes, communem illis patriam asserit, in qua genuinus loquendi et scribendi usus in peculiare hoc idioma degeneravit. Neminem caeterum hujus rei admiratio subibit, qui perpenderit Vaticanum librum editionem exhibere, qualem pro coetibus Aegypti Hesychius recensuit; illum autem, Alexandrinum, licet in evangeliis Origenis emendationem sequatur, altera saltem parte, in actis et epistolis, ad Hesychii exemplaria reverti.[17])

Verum jam et nos revertamur ad ea, à quibus judicium pendet de aetate codicis, et inscriptiones atque subscriptiones singulorum librorum

„XII. et in pluribus aliis locis. Ny vero ἐφελκυστικον semper fere additur, „sive vocalis sive consonans sequatur."

15) Assemani cod. liturg. L. VIII. p. 79. ad finem partis V. Georgi fragm. S. Jo. Graeco-Copto-Thebaicum. append. liturg. p. p. 353.

16) Richard Pococke, a description of the East, and some other countries, London. 1745. fol. Vol. I. Plat. XXXVIII.

17) Hug, Einleitung in die Schriften des neuen Testaments. I. Th. §. 37. 38. 39.

consideremus. Adsunt quidem inscriptiones libris praefixae, sed simplicissimae, *κατα μαθθαιον* (sic) *κατα μαρκον*, *κατα λουκαν*, *κατα ιωαννην*, *πραξεις αποστολων*, *ιακωβου επιστολη*, *πετρου*, *α*, *πετρου β*, *ιωαννου α - β - γ*. *ιουδα*; at vero haudquaquam in ipsa area aut columna scripturae includuntur, sed quasi alienae et ad corpus operis minime spectantes, extra illud in superiori margine, et hic illic propemodum in extremitate paginae adjiciuntur, ita quidem ut, quamvis codex â bibliopegis haud male mulcatus sit, nonnunquam paene oram marginis contingant. Hae inscriptiones per integram cujuslibet auctoris historiam aut lucubrationem continuantur in summitate membranae ad finem usque, et in evangeliis hoc fere modo, ut paginae, quae manui sinistrae respondet, *κατα*; paginae ad dextram *μαθθαιον*, *μαρκον*-etc. adscriptum legatur: vox *πραξεις* in actibus, et nomen *ιακωβου* usque ad coronidem epistolae omnibus foliis superne adpositum cernatur; ita quoque in reliquis. Praeterquam quod instar additamentorum in suprema tantum pagina compareant, charactere etiam expressae sunt paullo minori, quam ipsa substantia operis, contra quam in aliis codicibus fieri videmus, ubi inscriptiones litteris grandioribus ornatioribusque resplendent. Quinimo in epistolis Pauli, ipsius auctoris nomen nusquam indicatur: epistola ad Romanos simpliciter inscribitur *προς ρωμαιους*; eodem modo etiam reliquae, *προς κορινθιους α*. *προς κορινθιους β*.

Subscriptiones ad calcem additae, inscriptionibus ad unguem conformantur, ita ut tantundem repetitiones inscriptionum sint in fine voluminum iterari solitae, quo, si forte casus aut tempus primam philyram papyri (ex qua posthac Themidis filii expositionem facti protocollon dixere [18]), delevisset, ad umbilicum voluminis de auctore constaret. Subscriptiones igitur hae sunt; *κατα μαθθαιον*, *κατα μαρκον* --- *πραξεις αποστολων*, *ιακωβου*; *πετρου α* etcaet. Epistolae autem Paulinae subscribuntur *προς ρωμαιους*, *προς κορινθιους α* - *προς κορινθιους β*. *κ. τ. λ.* reliqua enim quae insuper leguntur, falso pro genuinis

18) **Philyrae papyri Aegyptiacae invicem *κόλλα*, seu glutine jungebantur, quousque legitimam longitudtnem voluminis explerent. Primo adglutinata enarrationem facti, causae praemissam, continebat, unde deinceps expositio quaelibet rei actae prima adglutinatio, *πρωτόκολλον*, compellabatur.**

habita sunt; etenim à secunda manu profecta esse attentius consideranti ex atramenti dispari multum colore inlucescet; et si vitrea in auxilium advocaverit, ad augendam magnitudinem excogitata, manifestissime arguet unusquisque non solum atramenti diversitatem, verum etiam ductus litterarum. Hujusmodi accessiones sunt ad calcem epistolae ad Romanos, post verba προς ρωμαιους, quae sequuntur, εγραφη απο κορινθου; post Imam ad Corinthios, εγραφη απο εφεσου; post IIdam εγραφη απο φιλιππων; post eam ad Galatas, Ephesios, Philippenses atque Colossenses, εγραφη απο ρωμης; post utramque ad Thessalonicenses, εγραφη απο αθηνων. Ita sane nostrum exemplar voluminum consuetudinem in omnibus retinuit, nulla posterioris aevi nota temeratam, aut innovatam ad librorum morem. Tantum abest ab Euthalianis subscriptionibus, quae post medium saeculum V. elaboratae in Aegypto auctoritatem consecutae sunt, ut non solum illas non susceperit, sed nequidem eas habeat, quae Euthalii tempora praecesserunt, simpliciores multo, ex quibus Euthalius suas posthac congessit, et fabrefecit, cujusmodi sunt istae â secunda manu codici nostro assutae, aut eae, quae in Alexandrino libro inveniuntur.[19])

Divisiones in capita, pericopas vel anagnosmata plurimum saepe faciunt pro aetate codicum aestimanda. In exemplaribus antiquae notae vulgares et usitatae sunt sectiones, in quas Ammonius Alexandrinus libros evangeliorum divisit. Cum enim ex quatour evangeliis unam historiam,

19) Quod Euthalianae subscriptiones ex similibus notis, snb finem librorum eruditionis causa hinc inde â scriba aut lectore subjunctis, quales hic quisquam adjecit, suam traxerint originem, ex instituta collatione patescit. Ubi e. g. verbis προς ρωμαιους nostro adscripsit quispiam εγραφη απο κορινθου, Euthalius habet: πρὸς ρωμαίους ἐγράφη ἀπὸ κορίνθου διὰ φοίβης τῆς διακόνου; ubi nostro post, προς κορινθιους β, assuitur εγραφη απο φιλιππων, Euthalius habet: πρὸς κορινθίους β, ἐγράφη ἀπὸ φιλίππων διὰ τίτου καὶ λουκᾶ. Ubi codex Alexandrinus epistolam ad Titum subscribit, προς τιτον εγραφη απο νικοπολεως, Euthalius: πρὸς τίτον τῆς κρήτου ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα ἐγράφη ἀπὸ νικοπόλεως τῆς μακεδονίας. Zacagni collectan. monum. vet. p. 589. 624. 706.

retentis uniuscujusque verbis, observatoque, prout sibi videbatur, temporum ordine, coagmentare instituisset, absurdum erat, quae â duobus vel tribus vel ab omnibus relata sunt, duabus ternisve vicibus repetere; itaque in communibus ejusmodi narrationibus Matthaeo obsecutus, ad marginem solum adnotavit, quo loco apud reliquos eadem invenirentur: qnod fieri nequibat, quin evangeliorum libri in quaedam capitula dissecarentur. Pro hisce capitulis seu sectionibus deinceps seculo IV. Eusebius Caesareensis decem canones sive laterculos non sine acumine excogitavit, ad quos subscripta numero capituli nota lectorem relegaret, cujusque ope inveniret in laterculis consignatum, quae â duobus, â tribus, vel ab omnibus pertractata sunt, et in qua cnjuslibet sectione narrationes hae parallelae contineantur.

Ex illo jam tempore Ammonianae sectiones canonesque Eusebiani exemplaribus evangeliorum passim adjungi coeperunt. Enimvero scriptores huic aetati suppares de iis tanquam de re loquuntur usu et consuetudine propagata, et quasi de vulgari quadam et praescripta dimensione, ad quam evangelia mensurantur: quatuor, inquiunt, nobis sunt evangelia capitum mille centum sexaginta duorum, quae ab initio ad finem usque doctrinam filii de patre annunciant, rel.[20] Quinimo Hieronymus labente seculo hos canones jam apud latinos civitate donavit, et versioni eorum adnexuit.[21] Quapropter abesse â nostro codice non poterant amplius, nisi antecederet hoc aevum, quo non solum apud graecos, sed etiam apud latinos invaluerunt. Absunt vero omnino; aliaque in eo divisio deprehenditur, cujus hic breve exhibemus specimen: â Matth. I. v. 6. incipit caput B̄, seu secundum. Γ̄ incipit

20) Epiphan. in Ancorat. §. 50. τέσσαρα εισὶν ἐυαγγέλια, κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δυὸ, καὶ απ᾽ἀρχῆς ἓως τέλους ἐλάλησεν ὁ υιὸς, καὶ πρὸς ἀυτὸν ὁ πατὴρ. Eadem promemodum verba vide apud Caesarium, Gregorii Nazianceni fratrem, Dialogo I. interregat. XXXIX. in auctar. bibliothec. Patr. Frontoducei. Tom. I. et apud Gallandum biblioth. Patr. T. VI.

21) Hieronym. epist. ad Damas. Canones quoque, quos Eusebius Caesareensis Episcopus, Alexandrinum sequutus Ammonium, in decem numeros ordinavit, sicut in graeco habentur expressimus etc. edit. Valarsii. T. x. p. 664.

I. 12. Δ. I. 17. Ε. I. 18. Ϛ. I. 24. Ζ. II. 1. Η. II. 7. Θ. II. 13. Ι. II. 16. ΙΑ. II. 19. ΙΒ. III. 1. ΙΓ. III. 4. ΙΔ. et ΙΕ. tempus delevit. ΙϚ. IV. 1. ΙΖ. IV. 5. ΙΗ. *παλιν*, IV. 8. ΙΘ. *ακουσας δε* IV. 12. Κ. *περιπατων* IV. 18. ΚΑ. IV. 23. ΚΒ. *και ηλθεν η ακοη* IV. 24. ΚΓ. V. 1. ΚΔ. V. 8. ΚΕ. V. 14. ΚϚ. V. 17. ΚΖ. V. 21. ΚΗ. V. 27. ΚΘ. V. 31. Λ. V. 33. etc. Matthaeus ejusmodi divisiones habet ΡΟ, CLXX.; Marcus ΞΒ. LXII.; Lucas ΡΝΒ, CLII. et Joannes Π. LXXX. Ammonianae vero insunt Matthaeo CCCLV., Marco ad summum CCXXXVI.[21]) Lucae CCCXLII. et Joanni CCXXXII.

Acta apostolorum, catholicas atque divi Pauli epistolas Euthalius diaconus, gente Aegyptius, circa medium seculi V. in capita et *στίχους* disposuit, prologos, subscriptiones, de quibus paullo ante diximus, aliaque id genus additamenta ad sacros libros attexuit, quod opus suum Athanasio nuncupavit, Alexandrinae sedis archiepiscopo, cognomini illi celeberrimo Athanasio, qui seculo prius Alexandrinae ecclesiae praefuit.[22]) Haec divisio cum *στιχομετρία* caeterisque accessoriis tantae auctoritatis praesidio munita, exemplaria Aegypti invasit, et perinde nostrum codicem occupasset, ibi terrarum in lucem editum, si in haec tempora incidisset. Habet vero sectiones sequentem in modum adornatas: â capitis I. versu 15. inchoat Β; deinceps Γ. II. 1. Δ. *πετρος δε και Ιωαννης* III. 1. Ε. IV. 1. Ϛ. V. 12. Ζ. VI. 1. Η. VIII. 4. Θ. IX. 1. *κ. τ. λ.* Quantum ad secundam, tertiam, quartam et septimam sectionem Euthalius cum hisce consentit, paullò post vero deflectit in alia omnia; sectio ejus octava incipit VI. 8. nona vero VIII. 1; quae nostra est decima tertia, illi jam decima octava est; quae nostri est trigesima, illius est trigesima quinta: noster in universum enumerat in actis sectiones triginta sex ΛϚ; ille

22) Variant quoad numerum capitum libri mspti in evangelio Marci; reapse CCXXXIII. tantum computantur, quod cum numero capitum concordat relato superius ab Epiphanio atque Caesario. confer Millii prolegom. in nov test. n. 662.

23) Zacagni collectanea monum. veter. Praefat. §. LI. Seq.

quadraginta, $\overline{\mathrm{M}}$. Ex his nemo non videt, eas ab Euthalianis capitulis totum quantum differre; concinunt vero cum praelectionibus ecclesiasticis in dies festos Alexandriae atque in Aegypto receptis. Has Euthalius recenset; non suas, quippe alias instituerat numero sedecim, quae posthac auctoritatem consecutae sunt;[24]) sed veteres illas, tempore, et more traditas: atque cum his codicis Vaticani sectiones conveniunt quoad numerum; utrinque enim $\overline{\Lambda}$s triginta sex computantur, tum etiam quod adtinet initium et finem singularum praelectionum, in quibus nonnisi ter quaterve â se invicem discedunt. Praeterea codex Vaticanus alias adhuc continet sectiones â posteriori manu, alio atramento et characterum ductu, litteris uncialibus multo majoribus elaboratas, quae nonnunquam super veteres et primaevas superscriptae sunt, quin tamen eas ita obruant, ne subinde prospectent, et membra exserant. Sic e. g. sectiones veteres $\overline{\Theta}$, $\overline{\mathrm{I}\Gamma}$ et $\overline{\Lambda}$, â recentioribus $\overline{\mathrm{KE}}$, $\overline{\Lambda\Gamma}$ et $\overline{\Xi\mathrm{B}}$ obteguntur quidem, non occultantur tamen omnino, sed aliqua saltem parte prominent. Sunt autem hunc in modum concinnatae: $\overline{\mathrm{B}}$. I. 15. $\overline{\Gamma}$. II. 5. $\overline{\Delta}$. II. 14. $\overline{\mathrm{E}}$. II. 22. $\overline{\mathrm{s}}$. II. 29. $\overline{\mathrm{H}}$. III. 1. $\overline{\Theta}$. IV. 1. $\overline{\mathrm{I}}$. IV. 13. $\overline{\mathrm{IA}}$. IV. 23. $\overline{\mathrm{IB}}$. IV. 32. $\overline{\mathrm{I}\Gamma}$. V. 1, $\overline{\mathrm{I}\Delta}$. V. 12. $\overline{\mathrm{IE}}$, *παραγενομενος δε* V. 21. $\overline{\mathrm{Is}}$. V. 34. $\overline{\mathrm{IZ}}$. VI. 1. $\overline{\mathrm{IH}}$. V. 9. $\overline{\mathrm{I}\Theta}$. VII. 11. $\overline{\mathrm{K}}$. VII. 35. caet. Talia in universum sunt ad finem usque actorum capita sexaginta novem. Posterior haec divisio argumentum egregium sane suppeditat atque luculentum pro antiquitate libri Vaticani: manifestum enimvero est, quo tempore haec capita tardius et â seriori manu adposita fuere, divisionem Euthalii nondum viguisse, multo minus igitur ea aetate, qua praeclarissimum hoc exemplar conditum fuit.

24) Duas lectionum ecclesiasticarum divisiones in actis Euthalius exhibet, unam quo loco in catholicis et Paulinis epistolis lectiones â se dispositas recensere consuevit; nimirum immediate post prologum p. 411 — 413. atque has â se profectas esse distincte asserit: *διεῖλον τὰς ἀναγνώσεις τῆς βίβλου τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων. λ.* absolvuntur vero numeris sedecim. Aliam autem divisionem habet additam in fine, cujus ipse sibi meritum ne verbo quidem vindicat, sed generatim observat, eam in codice actuum inveniri: *καὶ οὗτοι οἱ ἀριθμοὶ, οὺς εὑρήσεις κειμένους ἐν τῷ τεύχει. λ.* p. 438. atque haec complectitur numeros triginta sex.

Ad eumdem fere modum dissentiunt sectiones catholicarum epistolarum ab iis, quas Euthalius introduxit. Epistola Iacobi in Vaticano habet sequentes. Β. I. 16. Γ. I. 26. Δ. II. 14. Ε. III. 1. Ϛ. III. 13. Ζ. IV. 7. Η. V. 7. Θ. V. 13; Euthalius sex tantum enumerat; noster vero novem: in prima Petri noster et Euthalius pariter habent octo; prima vero Joannis in nostro complectitur sectiones undecim; Euthaliana divisio septem tantum.[25] Quemadmodum in actis, ita etiam in epistolis catholicis serius, ab eadem manu secunda, eodem charactere, nova divisio capitum ad marginem adnotata est. In Epistola Jacobi est vero haec: Β. I. 19. Γ. I. 26. Δ. III. 1. Ε. V. 1., de qua idem valet, quod paullo ante observavimus, Euthalii divisionem ne tunc quidem obtinuisse, cum ista altera lapsu temporis codici Vaticano adderetur.

Quod attinet capitula vel sectiones, in primis memoratu digna sunt, quae nobis offerunt d. Pauli epistolae, singularia prorsus et unica. Enim vero non unaquaeque epistola suas peculiares habet sectiones, aut capita, quae pariter cum epistola desinunt, sed omnes simul sumtae, â prima ad ultimam usque pergendo, signantur capitum serie continua. In epistola ad Romanos capita viginti et unum ita dispunguntur: Β. I. 18. Γ. II. 12. Δ. III. 1. Ε. IV. 1. Ϛ. V. 1. Ζ. V. 20. Η. VI. 12. Θ. VII. 1. Ι. VIII. 12. ΙΑ. VIII. 28. ΙΒ. IX. 6. ΙΓ. X. 4. ΙΔ. XI. 13. ΙΕ. XII. 1. ΙϚ. XIII. 1. ΙΖ. XIV. 1. ΙΗ. XV. 1. ΙΘ. XV. 25. Κ. XV. 30. ΚΑ. XVI. 17. Initio epistolae ad Corinthios primae additur numerus ΚΒ, indicans caput vigesimum secundum; progrediuntur inde numeri usque ad quadragesimum secundum, quocum epistola concluditur. Inchoat altera ad Corinthios capite (ΜΓ) quadragesimo tertio; desinit quinquagesimo quarto: epistola deinde ad Galatae incipit capite (ΜΕ) quinquagesimo quinto; finitur (ΝΘ) quinquagesimo nono. Modo vero cum epistola ad Ephesios, quae proxime sequitur, ingens repente oboritur hiatus, atque transsultis sexagenariis decem numeris, illa adscriptum habet initio (Ο) caput septuagesimum, paullo post septuagesimum

25) Zacagni collectan. monumentor. vet. p. 487. 493. et 503.

primum , secundum: et reliqui porro numeri consueto ordine sibi succedunt per epistolas ad Philippenses, Colossenses, et Thessalonicenses usque ad numerum nonagesimum tertium, in quo subsistit ad Thessalonicenses secunda. Iamque, cum omnes numeros sexagenarios interiisse putares, inexspectato epistola ad Hebraeos, quae sequitur (Ξ), sexagesimum caput iuxta exordium adnotatum exhibet; moxque in decursu sexagesimum primum, secundum, tertium et quartum, in quo subito cessat cum vocibus *αμωμον τῳ Θεῳ*, ab Hebr. IX. 14. ad finem usque mutila.

Si quid habet speciem vetustatis eximiae, certe illud est, quod epistolae Pauli non ut singulae scriptiones consideratae, sed tanquam corpus unum integrumque aliquod auctoris opus continua capitum divisione insignitae sint. Ista ratio Pauli epistolas omnes in capita continua dispertiendi diu jam ante Euthalium exolevit; quae enim ille capita recenset, cum epistolae cujuslibet principio de novo ab unitate inire numerum solent, et â quodam sapientissimorum, quod ait, et amantissimorum Christi patrum adornata fuerunt; quare etiam haec capita in epistolis Paulinis *κεφαλαια καθόλικα*,[26] universum recepta, cognominavit. Haec jam cum sint Euthalianis temporibus priora, quanto magis ista, de quibus nequidem memoria undequaque extat ulla?

Haud minoris momenti est, quod circa epistolam ad Hebraeos hic innovatum esse videmus, quippe locum occupaverat post epistolam ad Galatas, quemadmodum adscriptus illi capitum numerus ostendit. Epistola ad Galatas desinit capite quinquagesimo nono; caput vero sexagesimum adnotatur iuxta exordium ad Hebraeos, cui per intervalla succedunt sexagesimum primum, secundum etc.: ita ut in ordine epistolarum Roma, caput orbis terrarum, primum locum obtinuerit, post eam opulentissima et frequentissima hominum in orbe Romano Corinthus; secutae deinde fuerint epistolae ad integrarum gentium coetus, Galatarum atque Hebraeorum; tuncque demum urbium ratio haberetur reliquarum, inter quas celeberrima

26) Zacagni collectanea monument. vet. p. 573. 591. 613. 625. etc.

Asiae Ephesus caeteras anteibat. Talis earum ordo fuit, teste numero capitulorum, quem jam librarius ita invertit, ut epistolam ad Hebraeos ä sede sua detractam omnibus postponeret, quae nominibus urbium inscribuntur, et post alteram ad Thessalonicenses collocaret decimo loco, solisque anteferret quatuor epistolis missis ad singulos homines. Etiamsi vero haec immutaret, tamen non est ausus expungere numerum, jam tempore et usu firmatum, maluitque computare praepostere, et interrumpere seriem capitum, quam more stabilita delere. Manifestum inde est, hanc rem tunc primum agi coeptam, et adeo recentem fuisse, ut nondum de nova capitum divisione provisum fuerit, ad hunc ordinem accomodata.

Seculo vero quarto hic epistolarum ordo, qui epistolae ad Hebraeos decimum locum, post secundam ad Thessalonicenses, assignaverat, adeo vulgaris fuit et usu ..ritus, ut Epiphanio nulli omnino codices innotuerint, qui eam meliore loco habebant, sed cuncti vel hoc, vel jam deteriore collocaverant; nimirum decimo quarto, omnium epistolarum ultimam.. 27) Haec duo sola codicum genera Epiphanio cognita fuere. Prior consuetudo in Aegypto obtinuit, altera per Asiam, ut videtur, atque Graeciam. Athanasius enim in epistola festali, in qua canonem librorum sacrorum recenset, eam post Thessalonicenses enumerat, non ex opinione sua, sed publicam et adoptatam sententiam ecclesiarum Aegypti secutus, â quibus nec ipsi dissidere, nec cuiquam integrum fuit. 28) Haec igitur immutatio, qua

27) Epiphan. Haeres. XXII. p. 163. edit. Basil. *ἐν τισὶ δὲ ἀντιγράφοις (ἡ πρὸς Φιλημονα) τρισκαιδεκάτη πρὸ τῆς πρὸς ἑβραίους τεσσαρακαιδεκάτης τέτακται. ἀλλα δὲ ἀντίγραφα ἔχει τὴν πρὸς ἑβραιους δεκάτην πρὸ τῶν δύο τῶν πρὸς τιμόθεον καὶ τιτον καὶ Φιλήμονα. λ.*

28) Athanas. epist. festal. Tom 1. p. II. p. 962 edit. Maur. *καὶ μετὰ ταύτας πρὸς θεσσαλονικεῖς δύο, καὶ ἡ πρὸς ἑβραίους, καὶ εὐθυς πρὸς μὲν τομόθεον δύο. λ.* Auctorem vero libri, qui synopsis s. scripturae inscribitur, eundem Athanasium esse suspicor, cui Euthalius opus suum nuncupavit, cui pariter est *δεκάτη πρὸς ἑβραίους.* Tom. II. opp. Athan. p. 197.

epistola ad Hebraeos in decimum locum transferebatur aetate Athanasii minime nova erat; quo tempore vero noster codex scribebatur, vix non erat facta, adeo ut conveniens capitum divisio nondum exstaret, et perturbatio numerorum inde oriretur, quin adhuc quisquam illi succurrisset.

Praeclarissimum denique antiquitatis documentum codex Vaticanus asservat in exordio epistolae ad Ephesios. Res est nota, et multorum disquisitionibus agitata, priscis rei Christianae temporibus, in salutatione epistolae praemissa, post τοις αγιοις τοις ουσι voces εν εφεσῳ (Ephes. I. 1.) defuisse. Ex quo effecere nostri, epistolam ex encyclicarum genere, et ad plures ecclesias missam fuisse, spatiumque vacuum ex industria remansisse, ut inter recitandum expleretur, adjecta mentione urbis, in qua epistola praelegebatur: adpellatam vero fuisse deinceps epistolam ad Ephesios, quod ibi primum fuerit promulgata, vel etiam ex dignitate urbis, qua inter Asiae urbes, ad *quas epistola* data erat, eminuerit. Nonnullis autem ex antiquis *ecclesiae* doctoribus res non carere mysterio videbatur, quod in verbo τοις ουσι (qui sunt) reconditum esse suspicabantur. Sententia enim: Paulus Jesu Christi, per voluntatem Dei apostolus, sanctis, qui sunt, et fidelibus in Christo Jesu etc. in eo singularis erat, quod, deficiente nomine urbis τὸ *qui sunt* nusquam referretur; nec quidquam undequaque esset adjunctum, unde divinare liceret, vel quales sint, vel ubinam sint. Dedit hoc ansam interpretationi, quam Hieronimus in medium adduxit: „Quidam, ajt, curi-„osius, quam necesse est, putant ex eo: quod dictum Moysi sit: Haec „dices filiis Israel, *qui est*, misit me; etiam eos, *qui* Ephesi *sunt*, sancti „et fideles, essentiae vocabulo nuncupatos, ut ab eo, *qui est*, *hi qui* „*sunt* appellentur [29]." In hac explicatione Basilius haud parum praesidii contra Eunomium se invenisse existimabat, quam etiam ex auctoritate majorum commendare, et ex *antiquis* tueri *exemplaribus* adnitebatur, quae

29) Commentar. in Epist. ad Ephes. I. 1. Tom. VII. opp. edit. Valarsii p. 543.

locum destitutum nomine urbis, ita exhibebant: *τοις αγιοις τοις ουσιν, και πιστοις - λ.*[30])

Eumdem in modum comparet locus iste in codice Vaticano: abest nomen urbis in contextu ipso, et juxta tantum in margine â prima manu, pari elegantia et assiduitate, ac reliqua pars operis, adscriptum cernitur; sed charactere paullo exiliori, quod typotheta hic non expressit; caeterum ita se habet:

ΑΥΛΟCΑΠΟCΤΟΛΟCΧΥ
ΙΥΔΙΑΘΕΛΗΜΑΤΟCΘΥ
ΤΟΙCΑΓΙΟΙCΤΟΙCΟΥCΙΝ ΕΝΕ
ΚΑΙΠΙCΤΟΙCΕΝΧΩΙΥ ΦΕCΩ
ΧΑΡΙCΥΜΙΝΚΑΙΕΙΡΗΝΗ

Si vero seculo quarto, tempore Basilii, codices nomen urbis jam in contextum receperant, et lectio sententiae sine urbis mentione rebus antiquatis accensebatur, de cujus fide ex vetustis tantum libris constaret; nil certe ratiocinatio in se habet insolens aut immodicum, cum librum Vaticanum in ea tempora reposuerimus, quae Basilium nondum viderunt eloquentiae laude et operibus illustrem.

Duo jam sunt argumentorum genera, ex quibus aetatem libri Vaticani dignoscere atque comprobare instituimus, quorum primum vim habet universe vetustatem ejus summam quamcumque asserendi. Huc pertinet characterum cum Herculanensibus propinqua affinitas, et haud obscura similitudo; litterarum bina renovatio; vocum perpetua commissura, nulla sejunctione, multo minus aliqua interpunctione distincta; accentus seriori atramento ab aliena manu adpositi; forma libri ad imitationem voluminum adaptata, atque columnarum numerus huic formae conveniens; par fere earum cum

30) Basil. contra Eunom. L. II. c. 19. p. 254 — 55. Tom. 1. opp. edit. Garnerii. *τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν, καὶ πιστοῖς ἐν χριστῷ ἰησοῦ. οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι, καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν αντιγράφων εὑρήκαμεν. λ.*

Herculanensibus altitudo, latitudo, et intervalla pariter aequalia: haec omnia codici aetatem vindicant, qua caeteros codices, quos in bibliothecis asservari novimus, longe exuperat. Alia vero certi cujusdam aevi notas et indicia includunt: qualia sunt additamenta ad subscriptiones tardius ab alio annexa; quae et ipsa nequidem Euthalii formulas sequuntur, sed speciem ejusmodi notationum praeseferunt, ex quibus Euthalius posthac subscriptiones suas collegit et efformavit: defectus porro capitum Ammonianorum, quae senescente seculo IV. in Graecorum libris consueta jam ad latinos commigrarunt: in actis et catholicis epistolis duplex in capita divisio, quarum ne altera quidem, adventitia, et tempore posterior, ad Euthalii normam confecta est: capita per omnes epistolas Pauli una numerorum serie concinnata; divisio, ut palam est vetustissima, cui deinceps auctoritatem abrogavit alia, quae capita singulis epistolis peculiaria adtribuit, et ipsa etiam antiqua, cum haudquaquam ab Euthalio, sed ex ejus testimonio, aetate majorum condita sit: epistola ad Hebraeos paullo ante loco mota, et retro post secundam ad Thessalonicenses amandata, quae mutatio, quod superstites in codice notae indicant, tunc recens et nova, Athanasii temporibus jam in Aegypto communis fuit et usu introducta: nomen denique urbis in salutatione ad Ephesios omissum, quod aevo Basilii in veteribus tantum libris usuvenit. Cuncta haec commonstrant, codicem haud dubie seculo IV. esse adjudicandum, et quidem non adulto et decedenti, sed exaratum fuisse ante seculi medium, qua aetate nec Basilius, neque Athanasius nominis claritudinem scriptis erant consecuti. Fatendum insuper est, quod harum rerum expertos latere nequit, raros aut nullos omnino superesse codices, litteris majusculis exaratos, de quorum aevo non conjecturali quodam ratiocinio, sed justis, ac tot legitimis argumentis liquido statui, et queis finitum exiguis adeo limitibus temporis spatium possit assignari. Quae caeterum de novo testamento dixi, eam quoque partem concernunt, quae vetus testam. complectitur, ab eadem calligraphi manu profectam; sed parcius dotatam peculiaribus certi cujusdam aevi documentis, secus ac in novo foedere factum est, cui locuples obtigit criteriorum varietas, cum summa perspicuitate conjuncta.

Sed jam adeste, *Cives Academici*, atque generosa et nobili concertatione conaminor ea vitae ornamenta adipisci, quae vobis proposita sunt, praeclarissima et maxima; non ignari quantum intersit praestare animo, ac multiplici rerum cognitione praecellere: observatione etiam edocti, litteris et artibus florere res humanas, atque civitates et regna non solum ad prosperitatem, verum etiam ad gloriam eniti; pulcherrimam proin patriae spem in illis collocari, qui circa earum studia occupantur, et nulla ratione certius vos probari PATRI PATRIAE, PRINCIPI OPTIMO, CAROLO FRIDERICO, MAGNO DVCI, atque PRINCIPI HEREDI, CAROLO LVDOVICO FRIDERICO, quos DEVS OPTIMVS MAXIMVS omni felicitate cumulatissime auctos sospitare velit, et quam diutissime servare incolumes.